

ritu in Baptismo esse dimissum, satis errat à regula: quia in Baptismo peccata remittuntur, non acceptorum uxorum numerus aboletur.

Hæc satis ostendunt, Innocentio visum fuisse, irregularitatem simpliciter ex plurali uxorum numero esse desumendam; atque ei sufficisse ut quis revera habeatur Bigamus, si probetur, ductam ante Baptismum fuisse veram uxorem.

IX. Eandem sententiam amplexus est S. Augustinus libro De bono conjugali cap. 18. Propterea Sacramentum nuptiarum temporis nostri, sic ad unum maritum (ait) & unam uxorem redactum est, ut Dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinari nisi *unius uxoris virum*. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum qui Catechumenus, vel Paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt. Rationem addit: De Sacramento enim agitur, non de peccato: nam in Baptismo peccata omnia dimittuntur. Sed qui dixit: si acceperis uxorem non peccasti, & si nuper non peccavit, & quod vult faciat, non peccat si nuptias, satis declaravit, nuptias nullum esse peccatum: Propter Sacramenti sanctitatem sicuti foemina etiam si catechumena fuerit vitata, non potest post Baptismum inter Dei virgines consecrari; ita non absurde visum est eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commississe; sed *normam* quamdam Sacramenti amisisse; non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessarium.

X. Hic videmus, Augustinum hanc irregularitatem non in aliquam incontinentiæ labem refudisse, sed in quemdam Sacramenti defectum; eò quod contrahens secundas nuptias *quamdam Sacramenti normam amisisse* visus sit.

Quæ sit hæc Sacramenti norma, dein subjicit: Ac per hoc sicut plures uxores antiquorum Patrum significaverunt futuras nostras ex omnibus gentibus Ecclesiæ uni viro subditas Christo, ita nosmet ipsos unius uxoris viri significabat ex omnibus gentibus *unitatem* uni viro subditam Christo: quæ tunc perficietur cum revelaverit occulta tenebrarum, & manifestaverit cogitationes cordis, ut tunc laus sit unicuique à Deo. Nunc sunt manifestæ, sunt latentes dissensionis, etiam salvâ caritate inter eos qui unum & in uno futuri sunt: quæ tunc utique nullæ erunt. Sicut ergo Sacramentum pluralium nuptiarum illius temporis significavit multitudinem futuram Deo subditam in terrenis omnibus gentibus: sic Sacramentum nuptiarum singularium nostri temporis significat unitatem omnium nostrorum subiectam Deo futuram in una ecclesiâ civitate.

XI. Mysticam hanc Augustini rationem non obscure probavit S. Leo Epistola 1. cap. 3. editionis Quenellianæ; inter rationes præcepti Apostolici, de non ordinando Episcopo nisi fuerit *unius uxoris vir*, adducens hanc: quod si in Sacerdotibus etiam in veteri Testamento figurabatur Christi & Ecclesiæ spirituale conjugium, illud vel magis servandum in novo.

XII. Cum enim secundæ nuptiæ hanc perfectam unitatem Christi cum Ecclesiâ, tamquam unici cum unica immaculata sponsa representare nequeant; utpote, non *unius* cum *unica* immaculata sponsa, videtur Sacramentum secundarum nuptiarum aliquem defectum pati, seu quamdam Sacramenti normam amisisse; nimirum vim representativam istius conjunctionis seu conjugii spiritualis Christi cum Ecclesiâ.

In hoc ergo defectu hanc irregularitatem positam esse credidit Augustinus; indecens existimans, ut is esset Sacramentorum dispensator, qui ipse in suscepto Sacramento defectum patiebatur.

XIII. Hæc irregularitatis fundamentalis ratio à tanto Doctore præposita, sensim ita invaluit, tantoque, præsertim in Ecclesiâ Latina, applausu recepta est, ut nequaquam du-

bitatum sit; quin hinc omnis Bigamiæ irregularitas esse desumenda; atque ratio illa moralis ab incontinentiâ ejusve suspitione, quali ad hanc irregularitatem impertinens, neglecta quodammodo fuerit; nullaque tandem reputata vera & propriè dicta Bigamia, nisi quando verè defectus hic Sacramenti occurrit.

XIV. Hanc sententiam expressit Celestinus III. in Cap. 5. De Bigamis non ordinandis. Consultus enim à Metensi Episcopo, an is qui mulierem ab alio ductam, sed non cognitam matrimonialiter sibi copulavit, valeat ad Sacerdotium promoveri? ita respondit: "Quod cum duo sint in conjugio, videlicet consensus animorum, & commixtio corporum, quorum alterum significat charitatem, quæ consistit in spiritu inter Deum & justam animam, ad quod pertinet illud quod dicit Apostolus. *Qui adheret Deo, unus spiritus est cum eo*: reliquum verò designat concubitum, quæ consistit in carne inter Christum & Ecclesiam, ad quod pertinet illud quod Evangelista testatur: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. profectò conjugium illud, quod non est commixtione corpore consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum & Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum, juxta quod Paulus exponens illud quod dixerat Protoplastus: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: & propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adheret uxori suæ; & erunt duo in carne una*: statim subiungit, *hoc autem dico magnum Sacramentum in Christo & Ecclesiâ*. Cum ergo propter Sacramenti defectum inhiberetur sit ne Bigamus, aut maritus viduæ præsumat ad Sacros Ordines promoveri, quoniam nec illa est unica unicus, nec iste unus unius: profectò tibi deficit inter huiusmodi conjuges commixtio corporum, non deest huiusmodi gnaculum Sacramenti. Unde is qui mulierem ab alio viro ductam, sed minimè cognitam duxit uxorem: quia nec illa, nec ipse carnem suam divisit in plures: propter hoc impediri non debet, quin possit ad Sacerdotium promoveri.

XV. In hoc itaque hodie Canonistæ conveniunt, veram ac propriè dictam Bigamiam esse, cum quis diversis temporibus successivè habuit & cognovit duas legitimas uxores, etiam prius non corruptas, quamvis utramque vel alteram habuerit ante Baptismum; ita Fagnanus ad Cap. NUPER A NOBIS De Bigamis non ordinandis numer. 3.

XVI. An extra hunc casum contrahatur verè ac propriè dicta Bigamia, inter Canonistas non convenit: eò quod hoc solo casu verè ac propriè Sacramentum cum prædicto defectu contractum videatur, & sic contrahens Bigamus, id est, duarum uxorum vir propriè dici queat.

XVII. Quidquid sit, hoc constat, aliquos tamquam Bigamos repellere; & pro Bigamis reputari, qui tamen verè Bigami non sunt; sed dumtaxat juris interpretatione pro talibus habentur; diciturque hæc Bigamia communiter interpretativa.

XVIII. Huiusmodi Bigami interpretativi omnium consensu reputantur Clerici, qui in Sacris Ordinibus constituti, more nuptiali secundas in contubernium sibi mulierculas adjunxerunt; cum quibus an dispensare posset, consultit Innocentium III. Episcopus Ratisbonensis, cui respondet Pontifex, articulum illum difficultate non carere, ac propolitus in utramque partem argumentis, tandem resolvit: "Nos autem in hac quæstione tibi respondemus, quod cum huiusmodi Clericis, qui quantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi matrimonialiter junxerunt, tamquam cum Bigamis non liceat dispensari, licet in veritate Bigami non existant, non propter Sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto."

Responsum Pontificis habetur in Cap. 4. De Bigamis

non ordinandis; ad cujus elucidationem merito legitur integra Epistola quæ est 66. lib. 2. editionis Baluzii; ibi ipse casus, prout supra est expressus, refertur; qui in ipsa Decretali est omissus: & pro Ratisbonensi legitur Uratizlaviesi.

XIX. Similiter convenit inter omnes, Bigamiam interpretativam dumtaxat incurri, si quis invalide cum vidua contraxerit, juxta responsum ejusdem Pontificis in Cap. 6. eod. ubi decidit, quod Subdiaconus qui de facto dixit viduam in uxorem, profectò Bigamus non existit; sed nec viduæ potest in veritate dici maritus, cum inter ipsam & illam non fuerit vinculum maritalitatis contractum: cum eo tamen (ait) contra doctrinam Apostoli, tamquam cum marito viduam dispensare non licet, non propter Sacramenti defectum, sed affectum intentionis cum opere subsecuto.

Interatio enim etiam obtinetur in nuptiis quibuscumque cum impedimento dirimente initis, decitio quoque eadem obtinere debet; unde & in his Bigamiam interpretativam intervenire communiter tradunt Canonistæ; & probat Fagnanus loco citato n. 43.

XX. Similis Bigamia contrahitur, si quis contrahat & consummat matrimonium cum unius, sed prius ab alio licet extra matrimonium, cognita Can. 2. Dist. 33. At monet Vir eruditus Janus à Costa Antecessor Austriacensis in Summario ad titulum De Bigamis, "Quod, quamvis meretricem quis duxerit, vix ex novo jure desine possimus, maritum contrahere irregularitatem."

XXI. Illud à Canonistis controversatur, num contrahens valide matrimonium cum vidua, censendus sit verè Bigamus, an verò dumtaxat interpretativus; eò quod revera non videatur plerumque uxorum maritus, neque in plures carnes divisibile; nihilominus verum esse Bigamum post alios citatos pluribus probat Fagnanus loco allegato num. 12. & sequentibus.

Sed an verus, an interpretativus Bigamus sit dicendum, parum videtur referre: cum satis constet, illum qui matrimonium contraxit cum vidua, hodie atque, quoad omnes juris effectus haberi pro Bigamo; ac illum, qui successivè duas habuit uxores.

XXII. Olim Bigami etiam veri, tantum à Sacris Ordinibus exclusi videntur; eò quod Apostolus non nisi de Episcopis (sub quibus & Presbyteri comprehenduntur) & Diaconis loqueretur.

Et quidem in Can. 3. Concilii Toletani I. relato apud Gratianum Dist. 34. Can. 13. legitur: "Lector h viduam, alterius uxorem acceperit, in lectoratu permaneat, aut si forte necessitas fuerit, Subdiaconus fiat, nihil autem supra. Similiter & si Bigamus fuerit." Tunc enim temporis Subdiaconatus necdum inter Ordines Sacros numerabatur, ut parte 1. tit. 1. cap. 3. notandum est.

XXIII. Concilium Lugdunense sub Gregorio X. edidit Decretum relatum in cap. Unico De Bigamis in VI. quo declarat, "Bigamos omni privilegio Clericali esse nudatos, & coërcitioni fori secularis addictos: consuetudine contraria non obstantem." Additque: "Ipsis quoque sub anathemate prohibemus deferre tonsuram vel habitum Clericalem."

XXIV. Dicit autem Concilium: *Altercationis antiquæ dubium præsentis declarationis oraculo decidente.*

Notat verò Glossographus altercationem Doctorum fuisse super Canone quisequis Dist. 48. ubi ex Epistola Siricii Papæ refertur: "Quisquis Clericus aut viduam, aut certè secundam uxorem duxerit, omni Ecclesiasticæ dignitatis privilegio mox nudetur, Laica sibi tantum communionem concessa. Et per illud nudetur videtur non esse privatus, sed privandus: præsens ergo Constitutio declarat hoc; ita ille.

Quia ergo Canon Quisquis loquitur tam de eo qui viduam, quam qui binas successivè uxores duxit, etiam

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

Constitutio pro illius declaratione edita, de utriusque intelligi debet; & ita hodie obinet. Tam enim maritus viduæ, quam duarum successivè uxorum, omni privilegio Clericali censetur nudatus.

Neque hodierna disciplina Bigamum etiam ob contractum Matrimonium cum vidua, ad ullum Ordinem vel minorem, ejusve functiones; ullumve Beneficium Ecclesiasticum admittit; imò nec ad ulla quantumvis infima Ecclesiæ ministeria eos admittendos sat intinuat Synodus Tridentina Sess. 23. cap. 17. De Reformat. Permittens enim quod se ministeris quatuor Ordinum Minorum exercendis Clerici caelibes præsto non erunt; sufficere etiam conjugati vitæ probatæ addit hanc cautionem, dummodo NON BIGAMI: quo ostendit, etiam nec ad horum Ordinum exercitia Bigamos esse admittendos; quemadmodum & Synodi Belgicæ, tamen conjugatos in Custodes Ecclesiarum Parochialium admittant, Bigamos tamen excludunt; uti supra parte 1. tit. 4. cap. 2. notatum est.

XXV. Imò non tantum juxta modernam disciplinam Bigami ab Ordinibus excluduntur, sed & Ordinatores eorum, potestate & officio ordinandi; & ordinati si ad sacros Ordines fuerint promoti, eis ideo sunt privandi, quia in Bigamis contra Apostolum dispensare non licet, ut debeant ad sacros ordines promoveri, vel in eis si promoti fuerint, remanere: ita respondit Pontifex in Cap. 2. De Bigamis non ordinandis.

Hinc habemus; Bigamum non tantum ab Ordinibus suscipiendis repellere; sed etiam prohiberi in susceptis ministrare.

XXVI. Uterius uno consensu hinc concludunt Canonistæ, Episcopum non posse dispensare cum Bigamo, nequidem ut in Ordine sacro jam suscepto minister; quod & in Bigamia interpretativa (ut si Subdiaconus nulliter contrahat Matrimonium cum vidua) obtinere decitur in Cap. finali eod.

XXVII. Quin communis est Canonistarum opinio, quam sequitur, & pluribus astruere conatur Fagnanus ad Cap. SUPER 20 De Bigamis non ordinandis, Episcopum cum Bigamo nequidem ad minores Ordines, aut simplicia Beneficia dispensare posse; atque ita declarasse Sixtum V. refert ibid. num. 46. idque præcipuè eo fundamento, quod Episcopis contra Apostolum dispensare liceat.

XXVIII. Verum idem Apostolus etiam prohibet *criminosos* in Episcopos & Diaconos assumi; & tamen Episcopis licet cum *criminosis* dispensare, quemadmodum expressè respondit Innocentius III. in Cap. 6. De Bigamis non ordinandis citata Sacerdotem in fornicatione prolapsum; ideoque pari & fortiori ratione, videtur Episcopis concedenda dispensandi facultas cum Bigamo: quia minus inordinatum apparet, Bigamum, qui contrahendo secundas nuptias non peccavit, quam prolapsum in fornicationem ad Ordines promoveri.

XXIX. Huic argumento cum Glossa respondet Fagnanus loco citato num. 9. & 10. "Criminosus post peccatam poenitentiam restitutus videtur in pristinum statum, & incipit esse quod non fuit, cap. Ferrem, cap. Penderet & cap. Domino sancto, 50. dist. & ideo cum talibus dispensatur. Sed Bigamus non prohibetur promoveri propter crimen, sed propter Sacramenti defectum ut in Cap. DEBITUM; infra eod. C. Acutus, 26. dist. quia carnem suam divisit in plures ab unitate recedendo, & hoc Sacramentum amplius restitui non potest per aliquam satisfactionem, cum non sit crimen; & ita aliud consideravit Apostolus cum dixit, non Bigamum, & aliud consideravit dum dixit, non criminosum."

XXX. Unde prædictum Canonem commentans Theodorus Balsamon ait: "Eos, qui suam Deo professionem votumque; de virginitate servanda irritum reddunt,

„dant, Patres Digamorum definitioni, hoc est pœna, „subiiciunt.“ Ballamoni consentiunt Zonaras & Ari- „stenus; nec alium esse Canonis sensum, textus ipse sat „ostendit.

XXXI. Non mirum proinde apud antiquos hanc spe- „ciem Bigamiæ fuisse ignotam; monetque Fagnanus ad „cap. NUPER. De Bigamis nec hodie inter Doctores „convenire, num hic vici queat Bigamia; atque non- „nullos credere hujusmodi voustragos nuptias contra- „hentes esse quidem irregulares, non ex ulla specie Bi- „gamia, sed propter præsumptionem incontinentiæ & „ad majorem sacri Ordinis reverentiam: alios verò af- „firmare, tales nulla ratione esse irregulares, sed solum „suspensos tamquam notoriè criminosos; ac tandem „concludit, sibi videri hanc quæstionem ferè esse inuti- „lem; cum parum intersit an ministrare aut promoveri „non possint tamquam similitudinarii Bigami, an verò „ut irregulares & suspensi; quandoquidem etiam inter „omnes conveniant, Episcopum super hujusmodi Biga- „mia dispensare.

CAPUT III. De Irregularitate ex defectu Natalium.

1. Hæc irregularitas multis incognita.
2. Tempore Gratiani nondum nota fuisse videtur.
3. Non ubique eodem tempore excepta.
4. Innocentius originem retulit ad seculum XI.
5. Circa seculum XI. plures Canones & statuta edita ad „exclusionem illegitimos.
6. Ob Cleri incontinentiam his Canonibus opus fuit; & „quare?
7. Jure Decretalium stabilita irregularitas.
8. Primum actum fuit de excludendis filiis Presbytero- „rum.
9. Tandem generaliter irregularitas extensa ad omnes „illegitimos.
10. Hæc irregularitas etiam hodie excludit à Minoribus „Ordinibus & Beneficiis simplicibus.
11. Prima inductæ irregularitatis ratio petit a ex digni- „tate Sacerdotum.
12. Secunda ratio ad reprimendam quorundam inconti- „nentiæ.
13. Tertia ob periculum incontinentia in filiis, & succes- „sionis hereditaria.
14. Irregularitas hæc tollitur per dispensationem; & qua- „liter Episcopus dispense?
15. In quibus solus Pontifex cum illegitimis dispense?
16. Non omnis species illegitimitatis est æque turpis; „& pro obtinenda dispensatione species expri- „menda.
17. Dispensatus ad obtinendum Beneficium, unicum „tantum potest obtinere.
18. Qui semel obtinuit dispensationem debet hujus in se- „cunda facere mentionem.
19. Dispensatio restringenda; nec comprehendit nisi ex- „pressa.
20. Specialiter inordinatum est, ut Filius illegitimus „habeat Beneficium in Ecclesia in qua Pater ha- „buit.
21. Decretum Concilii Tridentini circa eundem Arti- „culum.
22. Synodus Trid. excludit filium etiam à simplici Be- „neficio quod Pater habuit.
23. Etiam si persona media fuerit inter patrem & filium.
24. Non potest quocumq; modo filius illegitimus ministra- „re in Ecclesia in qua Pater unquam Beneficium ha- „buit.
25. Nec ad hoc dispensatio quantumvis generaliter con- „cepta se extendit.

26. Dispensatio contra hoc Decretum haud facile an- „nunda.
27. Modus tollendi hanc irregularitatem est Religiosa „Professio.
28. Ratio cur tollatur hoc modo irregularitas.
29. Illegitimi in Religione Professi non egent dispensa- „tione pro sacris Ordinibus; sed si tantum sint „Novitii.
30. Illegitimus per Religiosam Professionem non fit capax „Prælatûra.
31. Solus Pontifex hic dispensat: & quis sit stylus Pœni- „tentiaria.
32. Per subsequens Matrimonium tollitur defectus na- „taliûm.
33. Fallit si inter Parentes tempore conceptionis fuerit „impedimentum dirimens.

IN pristinis Conciliorum Canonibus aut Pontificum Decretis non legitur illegitimos ab Ordinibus aut Ecclesiasticis functionibus seu ministeriis ob solum defectum natalium fuisse exclusos; modo ceteræ dotes in Sacerdote requisitæ non desunt. Nec enim parentum vitia aut merita, sed propria merita aut demerita in assumendis ad Ecclesiæ munia attendenda esse credebant; quemadmodum multis Veterum Patrum testimoniis altuit Gratianus *Dist. 36.* ubi postquam Canon primo præmiserat hoc quasi summarium: *Presbyterorum etiam filii ad sacra officia non sunt admittendi*, immediate post recitatum hunc Canonem Concilii Claromontani sub Urbano II. *Presbyterorum filios à sacris Altaris ministeriis removemus*, subjungit: „Sed hoc intelligendum est de illis, qui pat- „ternæ incontinentiæ imitatores fuerint. Verum si mo- „rum honestas eos commendabiles fecerit, exemplis & „auctoritatibus non solum Sacerdotes, sed summi Sa- „cerdotes fieri possunt.

II. Videtur ergo Gratianus supponere, quod filii illegitimi à sacris Altaris ministeriis non essent exclu- dendis, si Paternæ incontinentiæ imitatores non fue- rint: & consequenter, quod solus natalium defectus neminem sacris Altaris ministeriis excluderet, aut irre- gularem faceret.

III. Quidquid sit de mente Gratiani & disciplina eo tempore vigente, hoc sat constat, quod irregularita- tem ex solo defectu natalium Ecclesia dudum ignorave- rit, uti rectè etiam notavit Christianus Lupus *tom. 3. Schol. pag. 79.* „Etenim, ait, inter Nicephori Confes- „soris Canones habemus & hunc. „Qui ex concubina, „scorto, Digamis aut Trigamis nati sunt, si virtutibus „præditi appareant, & sint Sacerdotio digni ordinentur. Extant Canones *tom. 9. Bibliotheca sanctæ.*

Quando hæc irregularitas primum inducta sit, haud constat; videtur non ubique eodem tempore, sed in aliis Ecclesiis citius, in aliis ferius introducta & recepta.

IV. Innocentius III. primos hujus irregularitatis au- ctiores videtur supposuisse Urbanum II. & Synodum Pictaviensem: Andream enim Londensi Episcopo ac Da- norum Metropolitæ, & suo per Septemtrionem Lega- to, interroganti: „Si Presbyterorum filii sint indiffe- „renter ad sacros Ordines promovendi,“ respondit: „De Presbyterorum filiis, tam ex Decreto Urbani se- „cundi, quam ex Concilio colligitur Pictaviensi, quod „ad sacros non sunt Ordines promovendi, nisi aut in „cœnobiiis, aut in Canonica Regulari religione fue- „rint conversati,“ *lib. 4. epist. 118.*

Tam Canon Urbani II. (relatus à Gratiano *Dist. 57. Can. 1.*) quam Canon Concilii Pictaviensis (relatus in *Cap. 3. De Filiis Presbyterorum*) editi sunt circa finem sæculi undecimi; atque ita ad illud tempus hujus irre- gularitatis initia retulisse videtur Innocentius III.

V. Hoc

Pars II. Tit. X. De Irregularitate ejusque Speciebus. 443

V. Hoc equidem non ambiguum est imprimis circa hæc tempora plures Canones, nec non plurimum Ec- clesiasticum statuta ad exclusionem illegitimos edita esse. „Eo namque tempore, (ait Christianus Lupus *pag. 79.*) „Duces & Comites suos passim ex ancillis bastardos vio- „lenter intrudebant in Sacras dignitates atque ita servi- „li simul & adulterino sanguine sædabant Ecclesias. Ad- „versum illos solemniter juramento se abstinerunt plu- „ra Capitula de nullis deinceps in suum Collegium „admittendis Bastardis, nullisque servis, nisi ex Eccle- „siæ suæ familiæ legitime natis.

VI. Ad hæc constat eo tempore vitio incontinentiæ supra modum Clerum fuisse infectum; ac præsertim Anglicanum, uti patet ex *Epist. 99. & 102. Palchalis II.* sub idem tempus scriptis, ut & notat Vir Eruditus Fran- ciscus Florens in commentario ad *Cap. 6. De Jure Pæ- ronatus*, unâ observans plerisque Decretales, quæ tum sub titulo *De Clericis conjugatis*, tum sub titulo *De fi- liis Presbyterorum* extant, pertinere ad Angliam: „Ex „quibus colligimus (ait) quamvis sæpius in Anglia, „Conciliis & Apostolicis Constitutionibus prohibita „fuerint Matrimonium, vel potius contubernia eorum, „qui in sacris erant constituti; prævalente tamen cor- „ruptelâ non obtemperatum.

Hi verò nefandi ac impudici Sacerdotes, omnibus ar- tibus filios suos in Ecclesiis, quasi jure hereditario in- trudebant; fiebatque tandem ipsum Dei Sanctuarium quasi hereditarium.

VII. Si quis attenderit varia Ecclesiasticum statuta, quæ ad exclusionem illegitimos sæculo XII. & sub initium sæculi XIII. condita sunt; nec non dubiâ occasione hu- jus irregularitatis Pontificibus propolita; atq; ipsorum Pontificum super illis responsa, ac signanter Innocentii III. in *cap. 5. de Electione* in tertia collectione apud An- tonium Augustinum, facile videbit, quod non videatur hæc irregularitas firmiter & generaliter stabilita ante ultimam Decretalium collectionem factam & evulgatam auctoritate Gregorii IX. quæ pro Jure communi Ecclesiastico uno consensu recepta fuit.

In hac Collectione *Titulus 17. libri* ita inscribitur: *De Filiis Presbyterorum Ordinandis vel non*: At in prima Decretalium apud Antonium Augustinum, additur: *Nec in paternis Ecclesiis tolerandis*. In quodam manuscripto legitur, uti notatur in margine Corporis Canonici editionis Antverpiensis apud Meurlium: *De Filiis Presbyterorum & ALIIS ILLEGITIME NATIS ordi- nandis vel non.*

VIII. Quidquid sit de hac tituli varia inscriptione; hoc satis constat, primò ac præcipuè in conciliis actum fuisse de excludendis filiis Presbyterorum; ideoque mirum non est, si horum tituli inscriptio præcipuè meminerit. Ad hæc expeditum est, maxime curæ fuisse, ne filii Pres- byterorum simul cum patribus in eadem Ecclesia to- lerarentur; ad quod ipsa tituli inscriptio in antiqua De- cretalium collectione respexit.

IX. Denique ex Decretis & responsis Pontificum; nec non Canonibus Conciliorum in Decretales Grego- rii IX. relatis, patet, non solum filios Presbytero- rum & spurios; sed quoscumque illegitimos tandem irregulares fuisse declaratos. „Ut filii Presbyterorum „& ceteri ex fornicatione nati, ad Sacros Ordines non „promoveantur,“ ait *Cap. 1. De Filiis Presbytero- rum ordinandis vel non.*

Et in *Cap. fin. eod.* Archiepiscopo Turonensi scribit Gregorius IX. „Nimis in tua Provincia Ecclesiæ defor- „matur honestas, ex eo quod filii Sacerdotum & alii non „legitime nati ad Dignitates & Personatus, & alia Be- „neficia curam animarum habentia sine dispensatione „Sedis Apostolicæ promoveantur.

Imo etiam procreati essent ex legitimo Matrimonio; sed tempore illo, quo conjuges se mutuo consensu voto

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

solemni castitatis obstituerant, irregulares censentur. *Cap. 14. eod.*

X. Nec tantum ad sacros Ordines, & majora Bene- ficia; sed & ad primam Tonfuram, Minores Ordines & simplicia quæcumque Beneficia, hæc irregularitas paulatim extensa est; uti expressè habetur in *Cap. 1. De Filiis Presbyter. in 6.*

XI. Triplex hujus inductæ irregularitatis causa com- munitè à Canonistis post Glossam in *Cap. fin. De Filiis Presbyter. in 6.* assignari solet. Prima petitur ex sacri Or- dinis prærogativa seu dignitate: quam etiam tangit S. Thom. in IV. *Sentent. Dist. 25. art. 11. quest. 3.* „Ordi- „nati (ait) in quadam dignitate præ aliis constituun- „tur. . . Et quia obscuratur hominis claritas ex vitiosa „origine, ideo etiam de illegitimo thoro nati à susceptio- „ne Ordinum repelluntur.

XII. Secundam rationem jam pridem expressit in sua doctissima præfatione S. Ivo Carnotensis dicens: „Qui- „dam Romani Pontifices decreverunt, ne filii Presbye- „rorum assumerentur ad Presbyteratum, non quod per- „sonarum acceptio apud Deum alicujus sit momenti: „vel natura, quæ omnium par est genitrix, ab aliquo „possit reprehendi, vel filius pro iniquitate patris con- „demnari. . . . Sed ad reprimendam quorundam Pres- „byterorum incontinentiam, vel tutius muniendam „aliorum continentiam.

XIII. Tertia ratio petitur ex incontinentia, quæ in filio timetur juxta illud vulgare: *Sapè solet similis filius esse patri*. Qua ratione utitur Sixtus V. in Constit. contra illegitimos edita (de qua infra) §. 1. in verbis: *Ille- gitime genitos, qui ut plurimum parentum vitia & in- continentiam imitari solent. &c.*

Unde in formula dispensationis super hac irregula- ritate, juxta stylum Curie Romanæ inscribitur hæc clau- sula: *Si ipse paternæ incontinentiæ imitator non sit, sed bone conversationis & vitæ.*

Addi merito posset periculum successionis quasi hære- ditariæ in Ministeria Ecclesiastica; quam ad excluden- dos filios Presbyterorum ab omni Ecclesiastico Ministe- rio non parum consideratam fuisse; imò & primam huic irregularitati originem dedisse, sat verisimile est.

XIV. Irregularitas hæc tolli potest, primò per dis- pensationem. Unde S. Thomas verbis supra allegatis hanc exceptionem immediate subjicit: *Nisi cum eis dispensetur; & tantò est difficilior dispensatio, quanto ori- go est turpior.*

Juxta hodiernam disciplinam quoad Minores Ordines ac simplicia Beneficia Episcopus dispensare potest, *Cap. 1. de Filiis Presbyter. in VI.* ubi dicitur: „Is qui defectum „patitur natalium, ex dispensatione Episcopi licite potest (si „ei aliud Canonicum non obstat) ad Ordines promove- „ri Minores, & obtinere Beneficium cui animarum cura non imminet, dummodo sit tale, super quo per „ipsum Episcopum valeat dispensari.

Per finalem clausulam intendit excipere Beneficia, quibus non imminet quidem cura animarum; sed ta- men aliunde excepta sunt; ut sunt *Personatus*, aliaque Beneficia *majora*, tamen curam Animarum proprie di- ctam annexam non habeant; ad quæ Episcopi dispen- satio se non extendit *Cap. fin. De Filiis Presb.*

Imò teste Rebuffio in Praxi Benef. parte 1. *titulo De Dispensatione super defectu natalium numer. 12.* „servat stylus Curie Romanæ, ut Episcopus nullo mo- „do in præbendis Ecclesiæ Cathedralis dispense cum „illegitimo, propter honorem & præminentiam illius „Ecclesiæ.

XV. Itaque quoad sacros Ordines & majora Bene- ficia nec non curam animarum habentia solus Ponti- fex hodie dispensat *Cap. fin. De Filiis Presbyter. & Cap. 1. eod. in 6.* Ubi verbis mox citatis subjicitur: „Ad „Ordines quoque majores vel beneficia curam ani- „marum